

in mente parentis fidelis, sed quasi habitualis, et annexa ipsi statui parentis Christiani, qui filios non generat, nisi consecrandos Christo.

Inst. 2. TERTULL. L. de Anima c. 39. ait: *Adeo nulla ferme nativitas munda est, utique Ethnicorum.* Dein subjungit, *ex Christianis nasci mundos.* His adde ejus dicta L. de Baptismo c. 18. ubi vult baptismum differendum usque ad ætatem adultam, dicens: *Quid festinat innocens ætas ad remissionem peccatorum?*

R. Oppono primum textum S. Aug. num. priore laudatum. Deinde addo TERTULLIANUM se ipsum ibid. explicantem. Immundos enim vocat Ethnicorum filios, quia illis etiam ante nativitatem adhibentur ritus superstitiosi et proles natæ destinantur diabolo. Tum exponens locum Apostoli cit. dicit: *Quasi designatos tamen sanctitati, ac per hoc etiam saluti, intelligi volens fidelium filios..... alioquin meminerat dominicæ definitionis: Nisi quis renatus fuerit etc.* cap. 40. autem hæc habet: *Ita omnis anima eo usque in Adam censetur, donec in Christo recenseatur: tandiu immunda, quamdiu recensetur; peccatrix autem, quia immunda.* Ad ea, quæ adduntur ex L. de Baptismo, respensionem vide n. 81.

118. *Obj. II.* Peccatum originale non tantum ut personale Adami, sed etiam ut moraliter nostrum jam est remissum a Deo, ex eo quod Christus nos redemerit, ut Paulus indicat ad Coloss. c. 2. v. 14. *Delens quod adversus nos erat, chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, et ipsum tulit de medio, affigens illud cruci;* ergo, quamvis illud ad omnes non pertineat, spectabit saltem ad fideles et fidelium filios.

R. 1^o. *D. A.* Remissum est in actu primo proximo *C.* in actu secundo *N.* Deus habuit velut remotam voluntatem remittendi peccatum, quando dedit Redemptorem; voluit enim remittere, si Christus satisfaceret: posita præscientia de satisfactione Christi futura, est in Deo voluntas velut proxima remittendi, quæ tamen non est voluntas actu remittens, sed spectat ad actum 1^{um}.; est enim promissio remittendi, quando et quomodo Christus voluerit, et simul est concessio, qua Deus Christo dedit potestatem actu remittendi. Nam Christus quidem pro nobis satisfecit, et satisfactionem pro nobis obtulit: hæc tamen non est nostra nec personaliter, nec physice, nec moraliter; cum Christus nec nomine nostro, nec in persona nostra, nec cum alligatione voluntatum nostrarum ad suam voluntatem, sed nomine suo proprio pro nobis satisfecerit. Quia ergo satisfactio non est nostra, per eam peccatum nostrum non tollitur formaliter: sed Christus accepit potestatem omnibus a se redemptis peccatum remittendi actualiter, et remittit etiam cuiusvis posita conditione baptismi vel pœnitentiæ. Itaque Christus *delevit chirographum*, quatenus, qui per illud debitores eramus absolute, nunc debitores sumus sic, ut per Christum possimus accipere gratiam: non tamen abolitum est chirographum totaliter, sed Christus illud tulit, affixitque cruci, et factus Dominus chirographi, factus est Dominus debiti, qui potest a nobis exigere et remittere debitum: illud tamen ideo tulit, quia vult nobis debitum remittere.

R. 2^o. *N. Cons.* Quæ si tenet, extendenda est ad omnes, et sic nimium probat; facta enim restrictio sapit Calvinii et Jansenii hæresin de morte Christi pro salute duntaxat fidelium aut electorum.

Inst. Nemo potest transmittere id, quod non habet. Parentes baptizati non habent amplius peccatum; ergo.

R. *D. M.* Nemo potest transmittere per modum causæ, id quod non habet *T.* per modum conditionis, qua posita vel non posita fit vel non fit transmissio *N.* Generatio nempe naturalis *conditio* est ejusmodi, ut dictum est supra; et hæc habetur tum in baptizatis, tum in infidelibus. Dixi *Transeat*; quia hæc sunt AUGUSTINI verba L. 3. de pecc. mer. c. 9. *Potuerunt enim parentes ad posteros transmittere, quod ipsi minime habuerunt, non solum sicut frumenta paleam, et præputium circumcisis, sed etiam, quod et vos dicitis, fideles infidelitatem in posteros trajiciunt.*

ARTICULUS III.

AN BEATISSIMA VIRGO CONTRAXERIT PECCATUM ORIGINALE ?

119. *Nota I.* In hominis generatione duo distinguuntur. 1^{um}. est conceptio seminis ac prima inchoatio fœtus postea organizandi, dum sit idoneus animæ, vocaturque conceptio materialis et imperfecta: 2^{um}. fœtus humani animatio, quæ fit eo instanti, quo anima rationalis a Deo creatur, creando infunditur, et unitur corpusculo infantis, vocaturque conceptio formalis et perfecta. De *prima* conceptione hic non agitur; tum quia per illam nondum existit filius Adam, qui contrahere dicatur peccatum: tum quia in illa necdum adest anima, cujus voluntas est subjectum, cui originale æque ac alia peccata inhaerent: unde an illa cum SS. Patribus quibusdam dicenda sit immunda et subdita peccato ob generantium concupiscentiam aliasque imperfectiones, an non? hic non disputatur. De *altera* itaque, *formali et perfecta* sermo est, dum quæritur an B. Virgo in conceptione sua fuerit sanctificata vel non? ubi sicut non quæritur, an anima B. Virginis fuerit sanctificata, antequam uniretur corpori: sic nec satisfit dicendo, eam esse sanctificatam ante nativitatem, sed tamen aliquando post conceptionem. *Controversia* enim est de primo instanti creationis et infusionis animæ in corpus, an scilicet tunc ex speciali Dei gratia intuitu meritorum Christi a macula peccati originalis fuerit præservata, an vero contaminata? Atque hoc sensu Ecclesia Catholica colit et celebrat festivitatem Conceptionis B. Virginis, ut declaravit ALEX. VII. in Decreto an. 1662.

120. *Nota II.* De hac controversia jam a seculo XIII. in scholas inducta, posterioribus autem magna partium utrinque contentione agitata ediderunt plures Pontifices Decreta et Constitutiones; et quidem Sixtus IV. an. 1483. quæ incipit: *Grave nimis* (Extravag. Comm. L. 3. tit. 12.). Pius V. an. 1570. quæ incipit: *Super speculam.* Paulus V. an. 1616. quæ incipit: *Regis Pacifici.* Gregorius XV. an. 1622. die 24. Maii, quæ incipit: *Sanctissimus.* Et die 28. Julii, quæ incipit: *Eximii.* Alexander VII. an. 1661. edidit Decretum, cui titulus: S. D. N. Alexandri VII. *Innovatio Constitutionum et Decretorum in favorem sententiæ asserentis, animam B. M. Virginis in sui creatione et in corpus infusione a peccato originali præservatam fuisse, editorum.*

Ab his primo universim sub pœnis et censuris prohibitum est tum negan-

tibus tum affirmantibus immaculatam B. V. conceptionem, ne quis opinionem contrariam tenentes asserat hæreticos, aut peccare mortaliter; ubi tamen observare juvat motiva prohibitionis. Vetatur siquidem hæreseos aut peccati mortalis damnare negantes, quia nondum ab Ecclesia et Sede Romana decisum est, B. Virginem sine labe conceptam esse: vetatur damnare affirmantes, quia festum de immaculata Conceptione ordinatum est, et celebratur a Romana Ecclesia; quorum *primum* nihil, *secundum* autem multum probabilitatis addit sententiæ.

Deinde a Sixto quidem et Pio permissum erat utrique parti privatim et publice proponere et defendere suam sententiam: prohibitum vero, ne id fiat publice, parti neganti a PAULO: quin altum tandem silentium omnibus conceptioni immaculatæ adversantibus impositum fuit a GREGORIO et ALEXANDRO, exceptis tamen PP. *Dominicanis*, quibus Pontifex prior in secunda sua Constitutione adhuc concessit, ut in privatis eorum colloquiis seu conferentiis, sed inter se duntaxat et non inter alios aut cum aliis, de hac materia disserere et tractare possent.

Denique sententia affirmantium a Pontificibus omnibus vocatur pia; piæ etiam laudabile et devotum declaratur ab ALEXANDRO, juxta hanc sententiam colere B. Virginem: Cautum demum ab eodem fuit sub propositis pœnis ac censuris, ne hæc sententia quovis excogitabili modo et sub quocumque prætextu impugnetur.

121. Dico. Beatissima Virgo Maria non contraxit peccatum originale; sed in primo creationis et infusionis animæ suæ in corpus instanti fuit per gratiam justificantem sanctificata et a peccato originali præservata. Ita præter paucos reliqui Doctores et Fideles communissime omnes. Argumentorum pro hoc privilegio cum pleni sunt et *Theologorum* et *Concionatorum* et *Ascentarum* libri, pauca duntaxat hic delibabimus.

Prob. EX SCRIPTURA. I. *Negative*. Quia Scriptura B. Virgini hoc privilegium non negat in particulari: neque etiam negat locutionibus generalibus; sicut enim sub ejusmodi locutionibus de peccato actuali, 2. Paral. 6. v. 36., Eccl. 40. v. 1., Jac. 3. v. 2. etc. non comprehenditur, sic nec in iisdem de peccato originali continetur, ut ex Conciliis, Patribus et Pontificum decretis constat.

II. *Positive*. Quia tum Ecclesia, tum Patres de B. Virgine exponunt Scripturas, quæ immunitatem ab omni prorsus labe indignant. Talia sunt Genes. 3. v. 15. *Inimicitias ponam inter te et mulierem... Ipsa conteret caput tuum.* Job. 3. v. 9. *Expectet lucem, et non videat, nec ortum surgentis auroræ.* Ps. 45. v. 5. *Sanctificavit tabernaculum suum Altissimus.* Ps. 85. v. 37. *Thronus ejus sicut sol.* Cantic. 2. v. 2. *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.* c. 4. v. 7. *Tota pulchra es amica mea, et macula non est in te.* v. 12. *Hortus conclusus soror mea sponsa, hortus conclusus, fons signatus.* c. 6. v. 9. *Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra ut luna etc.* Prov. 8. v. 22. *Dominus possedit me ab initio viarum suarum.*

Quamvis enim ex sensu spirituali non habeatur argumentum plene efficax, supposito tamen sensu et explicatione Ecclesiæ multum probat; quod hic sufficit, ubi non agitur de dogmate fidei aut veritate definita. Accessit, quod B. Virgo dicatur *gratia plena; benedicta inter mulieres*: et de se pronun-

tiet: *Fecit mihi magna, qui potens est*; quibus verbis cum juxta Fidelium omnium et D. THOMÆ etiam expositionem confineantur aut nitantur privilegia omnia et dona gratiæ, quæ secundum rectam rationem decent Matrem Dei: immunitas autem a labe originaria eam vel maxime decuerit; sequitur et hoc privilegium inde confirmari.

Prob. EX ECCLESIAE AUCTORITATE: I. EX CONCILIO BASILENSE sic Sess. 36. statuit: *Doctrinam illam asserentem gloriosam Virginem Dei genitricem Mariam, præveniente et operante Divini Numinis gratia singulari, nunquam actualiter subjacuisse originali peccato, sed immunem semper fuisse ab omni originali et actuali culpa, sanctamque et immaculatam, tanquam piæ et consonam cultui ecclesiastico, fidei Catholice, rectæ rationi et sacre Scripturæ, ab omnibus Catholicis approbandam, tenendam, et amplectendam definimus et declaramus, nullique de cætero licitum esse in contrarium prædicare seu docere.* Quamvis vero hæc definitio non habeat auctoritatem Concilii Œcumenici, ut ex historia constat: maximi tamen est ponderis; tum quia hoc decretum confecerunt viri plures doctrina conspicui: tum quia illud Academia Parisiensis suis alumni solemniter juramento in posterum perpetuo confirmandum proposuit: tum quia illud quoad ipsam doctrinam a Conciliis subsequenter ac Summis Pontificibus nunquam reprobatur, sed potius confirmatum fuit.

TRIDENTINUM Sess. 5. in fine Decreti de peccato originali hæc adjicit: *Declarat tamen hæc ipsa sancta Synodus, non esse suæ intentionis comprehendere in hoc decreto, ubi de peccato originali agitur, beatam et immaculatam Virginem Mariam, Dei genitricem; sed observandas esse Constitutiones felicis recordationis Sixti Papæ IV., sub pœnis in eis Constitutionibus contentis, quas innovat.* Circa quod duo observanda sunt: 1^{um}. hanc additionem esse genuinam ipsius Concilii, licet ea in multis editionibus ante an. 1564. non legatur: 2^{um}. Commune ferme omnium ad hanc quæestionem examinandam deputatorum suffragium fuisse pro definienda Immaculata Conceptione; abstinuisse tamen pro hac vice ad instantissimas preces paucorum Episcoporum et Doctorum Dominicanorum.

II. EX PONTIFICUM DECRETIS. Omnia enim num. præced. relata favere sententiæ piæ et ipsa verba docent, et in ejus favorem edita Alex. VII. Constitutio declarat. Præterea in iisdem decretis, item in Bullis Sixti IV. an. 1476., Innoc. XII. an. 1693., et Clem. XI. an. 1708., ad festum Immaculatæ Conceptionis (quod, teste Suaresio, Ecclesia Græca jam ante annos mille, Latina ante quingentos celebrare cœpit) solemniter per universam Ecclesiam Romanam celebrandum, Pontifices hortantur fideles, indulgentiis concessis invitant, et sub mortali obligant; unde sic arguitur: Ecclesia non potest suadere, approbare, multo minus præcipere *cultum superstitiosum*, seu talem, qui habeat objectum falsum; quia juxta S. AUG. L. de Mend. c. 20. omnis falsitas in materia religionis est pernicioiosa, et juxta LACTANTIUM L. 4. Inst. c. 28. superstitio est cultus falsi, sicut religio est cultus veri. Sed Ecclesia approbat, suadet et præcipit cultum Immaculatæ Conceptionis; ergo hic cultus non potest esse falsi, et hæc falsa.

Conf. EX S. TH. p. 3. q. 27., ubi a. 1. sic pro sanctificatione B. Virginis in utero materno argumentatur: Ecclesia celebrat Nativitatem B. Virginis. Non autem celebratur festum in Ecclesia, nisi pro aliquo Sancto. Ergo

B. Virgo in ipsa sua Nativitate fuit sancta. Fuit ergo in utero sanctificata. Simili autem modo argumentari licet pro sanctificatione Beatissimæ in instanti infusionis animæ in corpus, seu animationis, de qua celebratur festum ex dict. n. 119.

III. EX FAVORE ECCLESIE et SENSU FIDELIUM; quorum prior constat tum ex hactenus dictis, tum ex instituta Religione in honorem ejusdem Immaculatæ Conceptionis, in cujus Regula c. 3. dicitur *animam Virginis a primo instanti creationis fuisse sanctam*, quamque regulam et institutum probaverunt Julius II., Leo X. et Alex. VI. Posterior autem negari a nullo potest; tum quia pro pia sententia paucissimis exceptis stant DOCTORES et ACADEMIÆ omnes; item ORDINES RELIGIOSI, si forte unum excipias, cujus tamen nec omnes alumni contrariantur; tum quia a ducentis saltem annis Fideles utriusque sexus pro ea tanquam pro aris et focis certant, et festum maxima devotione peragunt.

Prob. EX SS. PATRIBUS. Eorum testimonia quatuor in ordines Suarez Tom. 2. in 3. p. Disp. 3. Sect. 5. dispescit.

Ordo primus continet ea, quæ *speciatim* de Virgine et peccato originali loquuntur. SEDULIUS L. 2. Carminis Paschalis v. 28. et seqq. sic canit:

Et velut e spinis mollis rosa surgit acutis,
Nil, quod lædat, habens, matremque obscurat honore:
Sic Evæ de stirpe, sacra veniente Maria,
Virginis antiquæ facinus nova Virgo piaret.

JOAN. DAMASCEN. in orationibus de Nativ. et Assumptione Virginiis multa habet de immaculata ejus Conceptione. Exempli gratia unum sufficiat: or. 1. de Nativ. n. 2. (opp. t. 2. p. 842. edit. Venet. 1748.) *Natura gratiam antevertere ausa non est, sed tantisper expectavit, dum gratia fructum suum produxisset.* LAUR. JUSTINIAN. L. de casto connubio Verbi et animæ c. 7. Quotquot, ait, *ex ipsa nati sunt propagine, exceptis dumtaxat mediatore Christo Jesu et ejus Matre, sub hac peccati lege sunt conditi.*

Ordo secundus ea complectitur, quæ *generaliter* et absolute enuntiant B. Virginem ab omni culpa immunem. Huc pertinet Pseudo-CYPRIAN. L. de Cardin. Christi Op. c. de Nativ. Christi, ubi de B. V. ait (opp. p. 314. edit. Rigaltii Paris. 1666.): *Non sustinebat Justitia, ut illud vas electionis communibus lassaretur injuriis; quoniam plurimum a cæteris differens, natura communicabat, non culpa.* S. AMBR. serm. 22. in Ps. 118. n. 30. ad illa verba: *Quære servum tuum Domine, sic inquit: Suscipe me, non ex Evæ, sed ex Maria, ut incorrupta sit Virgo: sed Virgo per gratiam, ab omni integra labe peccati.* Omitto alia, ut locum habeat luculentissimum S. AUGUSTINI testimonium, qui L. de nat. et gr. c. 36. ita scribit: *Excepta sancta Virgine Maria, de qua propter honorem Domini nullam prorsus, cum de peccatis agitur, habere volo questionem. Inde enim scimus, quod plus gratiæ ei collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, quæ concipere ac parere meruit eum, quem constat nullum habuisse peccatum.*

Hoc autem testimonium pertinere etiam ad *peccatum originale* et non tantum actuale, liquet 1. ex *scopo* totius libri, quo de peccato generatim tractat, ut neminem, nec infantes, sine peccato esse concludat: 2. Ex *na-*

tura exceptionis; quia non unam Virginem, sed infantes etiam excipere oportuisset, si de actuali dumtaxat peccato enuntiasset: 3. Ex *ipsis verbis et rationibus* excipiendi sigillatim ponderatis: 4. Ex *connexione doctrine*. Docuerat enim Aug. impossibilitatem moralem abstinendi ab omnibus et singulis venialibus profluere ex peccato originali; ergo cum concedat immunitatem a veniali actuali, supponit ei non fuisse negatam immunitatem ab originali. Sic enim L. 5. contr. JULIAN. c. 15. n. 57. ait: *Propterea nullus est hominum præter ipsum (Christum) qui peccatum non fecerit grandioris ætatis accessu; quia nullus est hominum præter ipsum qui peccatum non habuerit infantilis ætatis exortu.* Sed in priori excipitur B. Virgo, ut aliter sentientes etiam concedunt ex L. de nat. et gr.; ergo et in posteriori.

Ordo tertius habet ea, quibus *spiritualis puritas* per varia elogia Beatissimæ tribuitur. Sic ORIGENES hom. 1. in diversos, illam vocat *immaculatam et dignam matrem digni et immaculati filii*: THEODOR. L. 3. in Cant. (1) *puritate Cherubim et Seraphim antecellentem*: GREG. NEOCÆSAR. in exposit. salut. Aug., *prorsus impollutam corpore et spiritu*: SOPHRON. in Conc. OEcum. VI. Act. 11. (Lab. t. 6. p. 864. C.), *ab omni contagione corporis, animæ et mentis liberatam*: THEODORUS HIEROS. in ep. synod. a Patribus Conc. OEcum. VII. Act. 3. approbata (Lab. t. 7. p. 182. A.), *omnis intelligibilis ac sensibilis naturæ gloria et claritate sublimiorem et omni sensibili et intellectuali naturâ puriorem*: S. EPHREM in or. ad Deiparam (opp. Græc. Lat. t. 3. p. 528. edit. Assemani.), *totam puram, totam immaculatam, totam illibatam, totam impollutam, totam irreprehensibilem, totam laudabilem, totam incorruptam*: PP. CONC. FRANCOF. in ep. ad Episcopos Hisp. *immaculatam prorsusque puram.*

Ordo quartus comprehendit ea, quibus vel *omnem gratiam* aliis collatam, Virgini *perfectiori modo* datam, vel per ipsam originale peccatum et dæmonis imperium destructum significatur. Horum testes IRENÆUM, CYRILLUM, AUGUSTINUM, EPIPHANIUM aliosque laudatos vide apud SUAREZ.

Prob. EX RATIONE. Argumentum SCOTI in 3. dist. 3. p. 7. fuit hoc: Deus potuit facere, quod ipsa (B. V.) nunquam fuisset in peccato originali: potuit etiam fecisse, ut tantum in uno instanti esset in peccato: potuit etiam facere, ut per tempus aliquod esset in peccato, et in ultimo instanti illius temporis purgaretur. Quod autem horum trium possibilium factum sit, Deus novit. Si auctoritati Ecclesiæ vel Scripturæ non repugnet, videtur probabile, quod excellentius est tribuere Mariæ, scilicet ut nunquam fuerit in peccato originali, quod excellentius est.

Argumentum alterum fundatur in axioma S. ANSELMI L. de Concept. Virg. c. 18. dicentis: *Decuit Virginem ea puritate nitere, qua major sub Deo nequit intelligi.* Inde enim est illud: Potuit Deus B. Virginem a peccato originali servare: Decuit eam a peccato originali servari immunem; ergo et Deus servavit. Hæc tamen a perfectiore excellentia vel a rei decencia desumpta argumenta videntur pluribus probare nimium, necessitatem nempe abso-

(1) Hæc verba nec non et alia quæ a SUAREZIO loc. supr. cit. adducuntur, deprompta sunt e PSELLI notationibus in Cant. Cant. quæ Theodoriti commentationi interjectæ leguntur in edit. Rom. Pauli Manutii, an. 1563. pag. 49. A. B.

lutam immaculatæ Conceptionis, nec omnino convenire cum iis, quæ in Tract. de Incarn. de necessitate Incarnationis dici consueverunt.

Hinc aliis probatur ratiocinium ex S. THOM. part. 3. quæst. 2. art. 1. et 4. secundum quem rationabiliter creditur, quod beatissima Virgo ex eo, quia *Mater Dei* fuit, præ omnibus aliis majora privilegia accepit, nec ullum peccatum actuale seu morale seu veniale commisit, cum, si peccasset aliquando, non fuisset *Mater Dei* idonea: 1^o. Quia honor, et ex opposito ignominia parentum redundat in prolem ex cap. 17. Prov. 2^o. Quia singularem affinitatem habuit ad Christum, cujus juxta 2. ad Cor. c. 6. nulla est conventio ad Belial: 3^o. Quia singulari modo Christus in ea habitavit, cum tamen Sap. 4. dicatur in malevolam animam non introire Sapientiam, nec habitare in corpore subdito peccatis. 4^o. Quia alias in ea non impleretur illud Cant. 4. *Tota pulchra es, et macula non est in te.*

Nam et ob easdem rationes rationabiliter creditur B. Virginem in primo animationis instanti fuisse sanctificatam; cum Joannes et Jeremias sanctificati sint in utero, et Angeli, Adam item et Eva in primo creationis momento præditi gratia: præterea vero magis inquinaret, conjungeret cum Belial, animam et corpus subderet peccato, ac deformaret B. Virginem originalis labes præ levissima veniali.

122. *Obj. I.* Eccl. 7. v. 29. dicitur: *Virum de mille unum reperi, mulierem ex omnibus non inveni.* Hæc autem verba intellecta de peccatis indicant, unum Christum inter viros ab omni peccato esse liberum, nullam autem mulierum; ergo nec beatissimam Mariam.

R. 1^o. Textum Eccl. litteralem huc non pertinere, sed ad sapientiam manifestum est. Qui vero eum ad peccatum trahunt, exceptionem etiam addunt. Sic certe in editione Parisina an. 1529. et Veneta 1555. fecisse legitur ipse etiam S. THOMAS in comment. ad Galat. Lect. 6. scribens: *Virum de mille unum reperi, scilicet Christum, qui sine omni peccato: mulierem autem ex omnibus unam non inveni, quæ a peccato immunis esset, ad minus originali et veniali. Excipitur purissima et omni laude dignissima Virgo Maria.*

R. 2^o. *D. m.* Indicant solum Christum per se, ex ratione suæ conceptionis et connaturaliter esse immunem ab omni peccato, et etiam debito tum proximo, tum remoto *C.* solum ita esse immunem, ut per *donum gratiæ* suæ non præservarit Matrem suam, ne incurreret originale, cui per debitum sive proximum, sive remotum erat obnoxia *N.*

Inst. 1. De Christo dicitur: *Tu solus Sanctus*; unde S. AMBR. L. 2. in Luc. n. 56. ait: *Solus per omnia ex natis de femina sanctus Dominus Jesus*; similia habent AUG. L. de perfect. justitiæ, L. 1. de pecc. mer. c. 29. etc.; LEO Papa serm. 1. c. 1. de Nat., CYR. Glaphyr. in Levit. init., GREG. M. MOR. L. 18. c. 27. (al. 52. n. 84.), FULGENT. L. de Fide c. 2.

R. *D.* Similiter. Christus enim solus dicitur Sanctus eo modo, quo Scriptura de Deo dicit: *Solus habet immortalitatem: et nemo bonus, nisi solus Deus*, scilicet a, ex et de se. Illis siquidem loquendi formulis non excluditur omnis accidentalis participatio, seu *communicatio per gratiam*. Simili ratione accipiendæ sunt Patrum locutiones, vel maxime, quia non ad originale duntaxat, sed et ad actuale peccatum porriguntur.

Inst. 2. Job. 14. v. 4., ad Rom. 5. v. 12., item 1. ad Cor. 15. v. 22. et 2.

ad Cor. 5. v. 14. dicuntur omnes *peccasse et mortui* esse originaliter. Idem confirm. CONC. CARTHAG. an 418., ARAUS. II., FLORENTIN. cum plurimis Patribus; ergo et B. Virgo.

R. *D. A.* Dicuntur omnes in Adam peccasse et mortui fuisse, sumendo tò omnes in suppositione accommoda *C.* in suppositione absoluta *N.* Locutiones hujusmodi generales pati exceptionem, dictum est num. priore, in prob. ex Scriptura. In quam vero suppositione sumantur, constare debet ex auctoritate Ecclesiæ, traditione Patrum et communi fidelium aut Doctorum sensu; quæ cum exceptioni pro B. Virgine favent, huc applicari potest illud Assueri ad Estherem dictum c. 15. v. 13. *Non enim pro te, sed pro omnibus hæc lex constituta est.* Ad Conciliorum auctoritatem eadem valet responsio; sicut eadem fides et doctrina est Scripturarum æque ac Conciliorum, nec ab uno comprehendi potest, quod ab illo excipitur. Cum igitur TRIDENTINUM apertis verbis nolit, generalibus ejusmodi formulis de peccato originali includi Virginem, significat nec ab aliis fuisse comprehensam; præsertim cum et illa de ipsa etiam *nativitate* nonnunquam loquantur.

123. *Obj. II.* Plures Patres aperte subjiciunt B. Virginem peccato originali. Nam 1^o. S. AMBR. serm. 6. in Ps. 118. dicit *carnem Christi in matre fuisse obnoxiam peccato.* S. AUG. L. 2. de pecc. merit. cap. 24. de Christo, *Non sumpsit, ait, carnem peccati, licet de materna carne peccati.* 2^o. GREG. NAZ. or. 38. et 45., S. MAXIMUS in serm. de Assumpt., BEDA in cap. 1. Luc. dicunt B. Virginem esse *mundatam*; mundatio autem supponit maculam contractam; ergo. 3^o. EUSEB. EMISSENUS serm. 2. de Nativ. *Ab originali nexu immunis neque ipsa Dei genitrix fuit.* 4^o. ANSELM. L. 2. cur Deus homo cap. 16. ait: *Virgo in iniquitatibus concepta et in originali peccato nata est, quia et ipsa in Adam peccavit.* 5^o. BERNARD. ep. 174. Canonicos Ludgunenses graviter reprehendit, quod festum Immaculatæ Conceptionis B. Virginis in sua Ecclesia instituerint: ipsamque conceptionem immaculatam pluribus impugnat. 6^o. RUPERTUS L. 1. in Cantic., BERNARDIN. Senen. serm. 51., VINCENTIUS FERR. serm. 1. de Nativ. aliique, alias B. V. multum devoti, hoc tamen privilegium negant.

R. Ad PATRUM auctoritatem universim spectat illud S. Ludovici Bertrandi dictum, quod refert Gormaz de Incarn. num. 851. *Omnes antiqui Patres, si modo viverent, dicerent scriberentque id, quod nos sentimus de immaculata Virginis Conceptione.* Cæterum non desunt, quæ ferme ad singulos repogramus. Unde

Ad 1^{um}. R. Explico S. AMBR. Caro Christi fuit in matre peccato obnoxia, quatenus mater erat peccato infecta *N.* quatenus mater habebat debitum peccatum contrahendi *C.* Similiter S. AUG. Caro B. Virginis fuit caro peccati per infectionem peccati *N.* per debitum peccati *C.* Caro Virginis vocatur *caro peccati*, non quia aliquando polluta fuit peccati macula, sed tum quia cum parentum libidine concepta et ex Adamo descendens, secluso gratiæ præservantis beneficio, originale labem contraxisset: tum quia generatione naturali accepit carnem a parentibus, qui aliquando contaminati fuerant peccato originali. Neutrum est respectu *carnis Christi*; unde et quia ob substantialem sanctitatem Christus nec contrahere potuit peccatum, neque proinde præservazione indigebat, non habuit carnem peccati. Dicitur tamen